



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve  
Adolescentiae Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VVestphalorvm, 1615**

Melito martyr 9. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

humilitate & verecundia, sed cum instantius  
vrgeretur humiliter cessit. Dein vero non  
tam suo ingenio quam diuina gratia fretus ad  
obsecrandum Dominum Iesum se contulit.  
Disputationem itaq; exorsus, tanta in respon-  
dendo dexteritate pollebat, vt Albertus ei pa-  
lām diceret: Thoma, tu mihi non tā respōden-  
tis quam do&toris locū tenere videris: conuer-  
susq; ad alios, Vos, inquit, hūc bouem mutum  
vocatis: sed ille certe tales quandoq; docendo  
**Humilitas.** mugitus dabit, vt totus possit orbis audire. Ni-  
hil vero sancti iuuenis animum hēc efferebāt,  
sed in multa se animi humilitate & syncerita-  
te continens, licet alios ingenio & eruditione  
superaret, neminem tamen vel leuiter prā se  
contempsit, neq; sibi aliquid arroganter attri-  
buit. Cæteris vero S. Thomæ gestis ac virtuti-  
bus, ne iusto sim longior, supersedeo.

**MARTYRIVM S. MELITONIS VNIVS**  
*ex quadraginta martyribus g. Marty.*

*Sur. Tom. 2.*

**I**mperante Licinio crudelissima tyrannide  
fideles passim ad supplicia rapiebantur, in-  
ter quos quadraginta milites bellica virtute  
laudatissimi, sed martyrij laude multo nobi-  
liores, pro æterna gloria fortissimè dimicā-  
runt. In lacum quippe glacie constrictum  
brumali tempore sub vesperum missi nihilq;  
(vno dempto) tam atroci suppicio conterri-  
ti, tota nocte immoti perstiterūt. Mane igitur  
cum

cum impij tyranni eos adhuc superstites inuenissent, crura eorum baculis cōfringi mandarunt. Vnius autem eorum mater sanctorum animos confirmabat. Filius enim ipsius erat omnium natu minimus. Qiamobrem metuebat, ne vi tormentorum in certamine se minus fortiter gereret. Itaq; defixos in eum oculos perpetuo tenebat, manibusq; protentis dicebat: Fili dulcissime paululum adhuc perfer, vt perfectus sis. Ne timeas fili: Ecce enim Christus adest adiutor tibi. At sancti dum disrumpentur, atq; animas agerent, dicebant: Anima nostra sicut passer, erepta est de laqueo venatum. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Et omnes dicentes, Amen, animas Deo reddiderunt. Sed filius ille, quem mater cohortabatur, nomine Meliton, adhuc spirabat. Iusserunt autem Tyranni, vt sanctorum corpora plaustris imposita ad pyram relicto iuuene, quem adhuc viuere putabant cremanda veherentur. Mater itaq; filium illic solum relictum videns, seposita imbecillitate muliebri, virilem animum ac robur aslumens, humeris eum suis impotuit, & strenue plausta sequebatur: tandemq; filium in suo amplexu extinctum, in eundem illum ceterorum martyrum rogam cōiecit: vt qui fide & virtute coniunctissimi fuerant, funeralis etiam societate coniuncti, vna in cælum peruenirent.

F

DE